

debet, penes quem est iurisdictio, qui si tum decernit sequestrationem, eam recte dici credo necessariam civilem, seu necessariam Iuris Civilis sequestrationem, quam et leges nostrae ex iusta causa fieri permittunt <sup>g</sup>). Quae quidem ea est, quam vnice necessariam vulgo dicunt doctores <sup>h</sup>). At ea sola nobis sufficit! Quid enim opus est illa tua iuris naturae sequestratione, quam ex statu naturali, quasi primaeuo, arcessis? Vbinam est ille status? Nonne sumus nos in ciuitates, regna, respublicas descripti? Nonne est suum cuique ciuitati ius proprium, quo nos utimur? Quorsum ergo inutili haec? — Audio mihi ita obmurmurari. Sed nolo tecum, qui ita mihi obloqueris, multum certare. Breuiter dicam, quid sentiam, ut iudicent, qui legant. Non nego, nullius usus esse hanc sequestrationem inter ciues. Ideoque si tu de sequestratione tantum loqueris, quae fit ex iure civili, et potest inter ciues in usum deduci, omitte hanc, quam ego adieci, quamue tu me finxisse forte dixeris. Non repugnabo, nec irascar. Sed nec tu irascaris velim, si, quod tu omittis, quia eius nullum putas in angusto tuo circulo esse usum, id ego addam, quia omnino puto et hanc rem ad iurisprudentiam spectare, non tantum naturalem illam et vniuersalem, quae de iuribus exponit singulorum hominum, sed et eam, quae iura gentium tradit. Gentes enim et populi ad se inuicem relati, quo iure uti debent, nisi hoc generali et vniuersali? Sed quare tam multa, quum breuiter disputare instituissem? Nouissima haec tempora satis te docebunt, esse etiam inter gentes ad haec iura sequestrationis prouocatum, idque vnum puto posse tibi sufficere.

<sup>g</sup>) v. c. c. si fideiussor. 7. §. si satisdare. <sup>h</sup>) Repetenda hoc loco sunt, quae de tum 2. D. Qui satisdare cogant. aliis nominibus dixi sub lit. c.